



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXVI. Occultæ Compensationis, qua utitur ancilla, cui Herus Legatum in Testamento relinquendum promiserat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM LXVI.

In Cauſa occultæ Compensationis.

SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. Spes remunerationis non tribuit Jus aliquid auferendi propria auctoritate.
3. Vera promissio Jus tribuit occultæ Compensationis.
4. Promissiones plerumque tantum habent rationem propositi.
5. 6. Occultæ compensatio intuitu obsequiorum suorum famulis regulariter non licet.
7. Ex benigna interpretatione potest non nunquam excusatio fieri.
8. Clerico absque aliis hæredibus intestato dece-

9. Sacerdoti, qui Servus olim fuerat, quis succedat?
10. Excusatur Consilium Confessarii bona à Parocho relicta destinantis ad Legenda Sacra.
11. Pecunia piis causis destinata non exigit deservitatum usum.
12. Legata facta ad causas profanas supremus Princeps: facta ad causas pias Pontifex commutare potest.
13. Etiam Episcopus ex justa causa.

FACTI SPECIES.

I.



Nævia Ancilla per plures annos ancillabatur cuidam Parocho, & fide quidem æstimata ab ipso Hero, qui proini propter obsequia sibi præstita eidem promittit læpius, se memorem illius fore in Testamento. Sed contigit, ut hic moreretur intestatus. Hæredes necessarios, vel qui ab intestato succederent, habebat nullos. Nævia igitur, antequam Capitulum Rurale manus in hereditatem injiceret, quadringentos florenos ex relictis pecuniis Parochi sui sibi accipit, rata tantum sibi relicturum fuisse Herum, si condere Testamentum potuisset. Verum cum non mala esset, serupulo angitur, & hunc Confessario aperit, qui concedit Næviæ, ut centum florenos retineat pro obsequiis, & Spe ex promissione concepta, reliquos trecentos florenos jubet expendi in Missas legendas pro defuncti anima. Exequitur istud Nævia, & Sacerdoti cuidam illos tradit, qui eos accipit, & ducentos pro Missis applicat, centum verò pro Templi ornatu expendit.

QUÆRITUR I.

Utrum Nævia hos centum florenos sibi à Confessario assignatos bonâ conscientia retinere possit?

2. **C**ertum est ex resolutione præcedentis casus errasse Næviæ subducendo pecuniam istam; quamvis enim sperare potuerit, sibi relinquendam tantam, vel majorem Summam in mercedem, & remunerationem obsequiorum præstitorum Hero; tamen hæc Spes ipsi Jus non tribuit, ut propria aucto-

ritate sibi summam istam acciperet: Atque hinc recte eidem Confessarius restitutionem faciendam imperavit. Quæstio igitur solum procedit de his centum florenis, quos servavit sibi ex consilio Confessarii, & quidem non solum ex conscientia formaliter, sed materialiter bona, seu utrum Jure retineat? Ad cujus solutionem examinandi sunt Tituli: quorum vi retineri Summa hæc posset. Prætere Nævia per se posset 1. Titulum promissionis sibi factæ. 2. Compensationis Laborum, & obsequiorum. 3. Eleemosynæ. De his omnibus examinandum, an faveant Næviæ. Igitur

Dubitatur 1. *An retinere pecuniam istam possit Titulo promissionis sibi ab Hero factæ, & toties repetita?* Si Parochus Næviæ Herus pecuniam hanc eidem verè promississet, certum est optimâ conscientia potuisse illam non tantum centum hos florenos sibi à Confessario assignatos retinere, sed etiam totam Summam, quam ipsi promissit Herus. Ratio, quia vera promissio, uti Sayr. *Clav. Reg.* l. 6. c. 6. n. 16. Azor. p. 3. l. 11. c. 14. q. 4. Sanch. *de matr.* l. 1. d. 5. n. 20. Mald. *tr.* 1. de *Just.* c. 9. dub. 8. Bonac. *D.* 3. de *Contrat.* q. 12. p. 2. num. 5. Wading. *de contr.* d. 3. dub. 2. s. 1. n. 5. Et apud hos D. Ant. Nav. Sot. Richard. Less. & communiter Canonistæ docent, obligationem justitiæ parit, & quidem talem, quæ ut ex citt. Less. Mald. Wading. volunt, ad hæredes transeat & Jus compensationis occultæ tribuat, ut iterum Wading. Sanch. & apud hunc Mendoza existimant.

Poterat igitur Nævia, si verè ipsi Herus Summam hanc promississet, pecuniam sibi promissam ab hæredibus Heri, & quia hæredes non habebant, à Magistratu Ecclesiastico petere, & si obtenturam se sperare non poterat,

terat, occultam sibi compensationem facere. Dixi, si verè promississet, cum enim verba non operentur ultra intentionem loquentis, & omnis vis obligandi in promissione proficiatur ex intentione promittentis, hinc videndum, qua mente verba promissoria prolata fuerint, ut colligi possit, an sint vera promissio. Definitur autem Promissio, quòd sit deliberata, & spontanea fidei obligatio facta alteri de re quapiam bona, & possibili. Notanter dixi *Fidei obligatio*; nam ad veram promissionem requiritur animus se obligandi: atque hinc si quis dicat: Ego. Faciam, & ego promitto me facturum, vel utatur aliis verbis promissoriis, non hoc ipso statim cenferi debet verè promississe; quia possunt hæc verba adhiberi solum ad significandum firmum propositum, & tunc erit gravior asseveratio, & non promissio; & qui contraverit, peccabit contra veracitatem, non verò contra Iustitiam, cum animus obligandi desit. Hoc modo Lessi. teste multorum promissiones, quæ leviter fiunt, plerumque intelligi debent; nam eo ipso, quòd leviter promittant, & sine sufficienti causa, mens illorum non est ferriò se obligare, aut Jus aliis tribuere exigendi, sed vel joco tantum, vel duntaxat animò ostendendi firmitatem propositi. Unde ut bene

Mald. tr. i. de Just. c. 9. dub. i.

notat, se ipsos sæpe aliqui incauti fallunt, qui dum spem sibi fieri audiunt, mox promissionem interpretantur: Atque ita deceptam credo Næviam nostram. Hinc ad Quæstionem, & dubium paulò antè datum

4. *Relolvitur.* DICENDUM. Promissio Parochi non fuit sufficiens titulus, ut Næviam bonâ conscientia retinere posset hos centum florenos, quos eidem attribuit Confessarius. 1. Quia non est credibile, quòd voluerit Herus se obligare Næviam ex Justitiæ Titulo per hæc verba, sed probabiliter ea fecit, ut alii subinde Heri, & etiam parentes faciunt, ad acuendam industriam, fidelitatem, diligentiam famulæ. 2. Si animum promittendi, & obligandi se habuisset, promississet rem determinatam: atqui nihil determinatum promisit, quantum ex casu constat, sed tantum indeterminatè, quòd velit illius in Testamento meminisse. Ergo promissio ista potius cenferi debet propositum, quam vera promissio, & si promissio est; non fecit, nisi sub conditione Testamenti faciendi, quòd cum non fecerit, cessante conditione, cessat promissio. 3. Parochus Næviam solum, & non plus promisit, quam quòd velit ejusdem meminisse in Testamento. Igitur etsi promissionem fecisset veram Parochus, ad plus non obligabatur vi illius, quam ut eam sub Testamento poneret. Hæc autem, obligatio personalis erat, quæ cum Persona extinguitur: Igitur post mortem Heri Næviam vi istius promissionis Titulum nullum habuit, vi cujus accipere aliquid

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

posset ex Bonis Heri. 4. Confessarius Næviam vir probus, & doctus (erat enim, ut ex eo, qui Casum istum ad me detulit, audi, Episcopi Confessarius) intellecta Confessione, & examinata Næviam, non judicavit posse retinere totum. Potuisset autem, si verba Parochi valerent in modum promissionis; nam tantum, & plus vi verborum illorum sperabat Næviam. Igitur cum hic Confessarius præsumi nequeat voluisse illam fraudare Jure suo, censendus est, post rem diligenter examinatam non invenisse promissionis veræ naturam, sed tantum propositi. 5. Denique Spes Juris non tribuit Jus: atqui consideratis omnibus vi promissionis Næviam tantum spem Juris habuit sibi deferendi per Testamentum, quòd Parochus volebat condere. Igitur cum hoc condere non potuerit, vi promissionis Næviam nullum habuit Jus. Non igitur pecuniam hanc, imò nec portionem illius retinere bonâ conscientia & Jure potuit sola vi promissionis. Multò minus retinere potuit ex vi Donationis; nam donatio plus est, quam promissio, saltem de Jure naturæ. Deinde si in modum Donationis valeret, valeret vel in modum Donationis factæ ab ipso Hero, vel in modum Donationis factæ à Confessario. Non secundum; quia cum ex re aliena nemo donare possit, Confessarius potestate donandi caruit. Non primum; nam si in modum Donationis factæ ab ipso Hero valeret, non esset ratio, cur non integram Summam à se subductam retinere potuerit, totum enim fundamentum, quo Donatio facta à demortuo colligi posset, sunt verba Heri, & Promissio sæpius repetita. Atqui ex his verbis non magis colligitur posse retinere hos centum florenos, quam totam Summam à se ablatam, tantum enim collegit Næviam ex Promissione sibi legandum fuisse Testamentum, si condere demortuo aliquòd potuisset.

5. *Dubium est.* DUBITATUR 2. An centum hos florenos retinere Næviam possit in Modum Compensationis laborum, obsequiorum, fidelitatis &c. qua pretio aestimari possunt? Pro Næviam stat; quia centum hi floreni pro Spe minimum ex illo erat, quo compensaturus Herus fuisset obsequia hujus suæ ancillæ, si in Testamento voluntatem suam significare potuisset: atqui bene facit, qui facit secundum voluntatem Domini. Igitur Confessarius centum florenos assignando Næviam pro Compensatione Laborum, & Fidelitatis bene egit, & consequenter Næviam assignatam pecuniam retinere potest. Contra Næviam est, quia, ut ex eo, qui casum istum ad me detulit, intellexi, illa Laborum suorum stipendium fideliter ab Hero accepit: neque per hoc, quòd existimaret fortè operam suam esse majorem stipendiò, statim adepta est Jus compensandi sibi occultè; nam damnata est Propositio ab Innocentio XI. ordine trigesima septima, quæ permittit famulis, & famulis domesticis aliquid occultè Heris suis surripere

ripere ad compensandam operam suam, quam majorem salariō judicant; quod accipiunt. Dubium solvendum est ex iis, quæ dici solent de Compensatione occulta famulorum. Qua in re certum est imò posse famulos petere in iudicio, vel si ex aliqua causa non possint in iudicio petere mercedem sibi debitam, & injuste negatam ab Heris, extrajudicialiter sibi occulte compensare; nam merces ista debetur ex pacto, & vere ex justitia, quæ, si aliud medium non supersit, dat fundamentum occultæ compensationi. Idem dicendum de iis, qui ita miserè tractantur à Dominis, ut neque ad Vitum necessaria, neque alia, quæ in aliis domibus similibus famulis communiter tradi solent, ac debent, accipiant; cum ejusmodi famuli paciscantur semper in conditione, qua alii similes famuli haberi solent, non culpandi sunt, si ad hæc necessaria sibi comparanda de Bonis Dominorum sibi tantum usurpent; quantum necesse est, modò à Dominis ea prius petierint, si spes sit fructus, nec periculum sui magni ruboris. 2. Certum est, non posse famulos sine evidenti injustitia subripere ab Heris, & sibi clam compensare, cum dubitant, aut ex apparenti, vel probabili etiam ratione judicant operam suam esse dignam majori pretiō, sed oportet hoc famulo esse certum.

Ita Sanch. l. 2. de Matrim. D. 44. n. 3. Card. Cris. Dissert. 23. num. 40. & p. 1. D. 16. c. 8. a. 3. & seqq. & cum his DD. Universi, qui ut licita sit compensatio, requirunt certitudinem in illo, qui ea utitur.

Ratio est; quia injustum est deturbare aliquem à possessione suorum Bonorum ob solas rationes probabiles (multò minùs propter rationes dubias) & consequenter iniqua est compensatio, ubi debitum non est omnino certum. Talis est compensatio famuli, si ex rationibus merè probabilibus sibi quærat compensationem occultam. Ergo. Confirmatur: Implicat, ut Herus simul habeat Jus certum retinendi res suas, & debitum probabile restituendi illas. Hoc fieret, si famulus ob rationes probabiles posset sibi quærere occultam compensationem: ergo. Major patet; nam si certum est Jus retinendi, certò falsa est contradictoria, quòd non possit retinere, sive quòd debeat restituere: atqui id, quòd certò falsum est, non potest esse probabile: ergo &c. Minor ostenditur: nam famulus per occultam compensationem non potest sibi surripere Heri rem aliquam, nisi Herus teneatur eandem tradere, cum Jus Creditoris, & Jus Debitoris necessariò sint correlativa. Igitur si probabile esset, quòd famulus per occultam compensationem posset rem Heri surripere, probabile in Hero daretur debitum eam restituendi, seu tradendi. Sed simul haberet Jus certum eam retinendi; quia habet illius possessionem certam, qua deijci nequit ob ra-

tiones solùm probabiles: ergo. 2. Certum est, non sufficere etiam, quòd famulus judicet irrogari sibi evidentem injustitiam in quantitate salarii, sed exquirendum super hoc iudicium prudentis viri, cujus iudicio, si plus deberetur famulo non solùm lege gratitudinis, sed etiam Justitiæ, & alius modus obtinendi debitum non superesset, compensationem occultam sibi famulus posset quærere: & ratio est, quia amor proprius hominem sæpè decipit, eumque facit credere tanquam evidens, quòd vix est probabile. Imò

ut vult Card. Cris. Dissert. 33. n. 59.

non statim in hac re fidendum est iudicio Confessarii mediocriter docti, sed opus est iudicio viri valde Docti, & in re morali verfatissimi: rationem dat, quia non parum difficile est iudicium ferre de adæquatione mercedis ad operam, vel Laborem, præcipue ubi initum est pactum de quantitate pretii, de quo ut iudicium ferri possit, multæ circumstantiæ considerandæ sunt, quæ Mediocriter doctum effugiunt. Rigidius adhuc loquitur Molina D. 506. ubi ait, nisi luce clarus constet, mercedem constitutam, attentis circumstantiis egredi limites pretii infimi, non posse famulum aut exigere, aut si negetur, occulte accipere de Bonis Domini in compensationem obsequiorum: Et addit, si accipiat, Domino præsumptivè invito, & in dubio, num invitus sit, furtum committere, & ad restitutionem teneri. Et hoc verum esse ait etiam casu, quo tali mercede sibi statuta famulus difficulter se sustentet, & familiam; quia Herus tantum tenetur illi dare justam mercedem obsequiorum, attentis circumstantiis concurrentibus, non verò quantum ei satis ad sustentandum se, & multò minùs, quantum opus est ad alendos liberos, & familiam. Ex his ad dubium propositum

Respondet, ex solo titulo compensationis Laborum non potuisse Naviam centum florenos istos retinere. Ratio est, tum quia mercedem accepit pacto debitam, tum quia dubium omnino est, an ultra istam plus aliquid eidem debeatur: quòd confirmatur ex ipso casu; nam neque Navia obtendit debitum, sed solùm promissionem Heri sui factam ad se factam, & repetitam, quòd venit ejusdem memor in Testamento esse. Ex hoc ipso etiam roboratur Responsio ad 1. Dubium; nam ut ex dictis ad hoc dubium præsens patet, compensatio occulta illicita est, nisi certum sit Jus. Atqui Jus Naviaz incertum fuit, dubium enim est valde, an verba illa promissoria vim promissionis habuerint, an verò solùm vim propositi. Ergo. Quare nisi allum titulum allegare Naviaz possit, quo honestetur pecuniarum retentio, debeat facere id, quòd alii famuli, & famulæ obligantur facere, si ex errore invincibili bona fide e. g. ex Consilio Confessarii indocti, subripuerunt Domini excessum illum

illum imaginarium Salarii, existimantes id sibi licere. De his audiendum Consilium, quod

Molin. D. 506. Card. Crif. Dissert. 33. n. 80.

docent, vel enim famulus ejusmodi adhuc durat in famulatu Domini, cui sic aliquid injuste subripuit, vel finitus est jam famulatus. Si primum, certum est, quod restituere excessum illum ablatum debeat, quando potest. Unde Confessarius, si errorem suum agnoverit poenitens, curare debet, ut damna illata compenset Domino ex suis, si quid habet. Si nihil habet, unde restituat, ferendum est, ut id compenset in Mercede jam promerita, & ipsi de Justitiæ rigore debita, ea tamen lege, ut caveat, ne Dominus ipsi, vel Hæredibus ejusdem bis solvat. Quare, ut monet *L. cit.* Molina, consultum erit, si sine periculo famæ, aut alio incommodo fieri possit, ut Domini congruo tempore intelligant, se nihil amplius debere hujusmodi famulis, eo quod tantundem de Bonis ipsorum per fragilitatem suam in decursu temporis, quo servierunt, usurpaverint. Si non amplius durat famulatus, major est difficultas: & ratio dubitandi est; quia nemo tenetur restituere, nisi vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis. Atqui ejusmodi famulus non tenetur ex injusta acceptione, quia ex conscientia invincibiliter erronea, & bona fide surripuit: ex re accepta autem nemo tenetur restituere, nisi quod adhuc ex Bonis alienis habet, vel id, in quo factus est ditior: Ergo. Nihilominus dicendum cum Cardena *L. cit.* etiam tali casu Famulum, errore agnito, teneri restituere, non solum id, quo factus est ditior, sed totum illum excessum, quem surripuit ultra justum, & sibi Pacto debitum Salarium. Ratio est, quia Obligatio ex Contractu durat, donec impleatur Contractus. Igitur si Famulus plus accepit, quam sibi debebatur Pacto, non obstante, quod servitium dimisit, adhuc tenetur Contractu, dum impleat Obligationem Contractus, & restituat, quod ultra Salarium sibi debitum ipse surripuit. Confirmatur, quando Herus, finito famulatu, nondum solvit partem Salarii Pacto debiti, etsi bona fide, vel probabili ratione ductus non solverit, Obligationem tamen Contractus, etiam soluto famulatu retinet, ita ut agnito errore vi Contractus præteriti teneatur solvere. Atqui Herus non debet esse deterioris Conditionis, quam famuli. Igitur etiam isti tenentur stare Contractu, & soluto famulatu solvere, quod errore agnito sciunt se accepisse ultra Salarium sibi debitum. Igitur, ut ad Næviam nostram revertamur, nisi aliò Titulo excusetur, & ipsa tenebitur restituere Pecuniam à se retentam; sed cui, cum Herus non adfit? Respondeo, illi, qui in Hæreditatem succedit Clerico intestato, succedit autem Clerico intestato, ut *ad Quæst.*

R. P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

2. infra dicam, si Consanguineos non habuerit, Ecclesia, cui servivit, in Patrimoniis; Fiscus Ecclesiasticus, si nulli Ecclesiæ servit, in Bonis Ecclesiasticis. Ergo his restituenda esset ea Summa.

DUBITATUR 3. *Utrum Pecunia ista non saltem valeant in rationem Eleemosynæ?* Pro hoc effugio Næviam servire posset; quia Bona illa alias hujus conditionis, utpote Ecclesiastica, fuerunt, ut erogari debuerint in Causas pias: à quocunque autem erogentur, non fuit injustitia. Igitur casu quo Næviam pauper fuit, ut communiter Ancillæ sunt, centum Floreni illi valere per modum Eleemosynæ potuerunt. In alteram partem difficultatem Næviam facit, quia in Bona illa, quæ à Clericis intestatis relinquuntur, si hæres, qui ab intestato succedat, nullus adfit, succedit Ecclesia, vel Fiscus Ecclesiasticus, ut paulò antea insinuavi, qui proinde accipit Bonorum illorum Dominium. Atqui ex Bonis alienis, etsi destinentur in Eleemosynam, & Causas pias, non licet erogare in Pauperes, nisi erogans sit illorum Dominus, & Dispensator, Ergo. Puto hanc Rationem validam esse adversus Næviam, & consequenter in rigore loquendo nec Titulo Eleemosynæ Pecuniam istam retineri posse: cui accedit, quia considerato statu Næviam centum Floreni nimia erant quantitas pro Eleemosynâ. Dixi, *in rigore loquendo*; nam ex benigna interpretatione existimo in Casu isto Episcopum, qui Fiscus Dominus est, censeri posse non improbare hanc Dationem, tum quia pauper & ipsa Næviam erat, tum quia fidelitas, & labores, licet stipendium, & mercedem acceperint, merentur tamen Præmium; nam etiam Præmium bene meritis datum reputatur in Causam piam, præsertim si egentes illi sint; Tum denique, quia sæpius ei Parochus sui promissit in Testamento memoriam, quæ Promissio, etsi Jus ei non dederit, tamen æquitati naturali sufficiens fundamentum præbet, ut ejus intuitu aliquid eidem cedatur à Fisco. Puto igitur, si omnia hæc, videlicet paupertas Næviam, ejusdem merita præmiò digna, Promissio Heri sæpius repetita, & ex hac consurgens æquitas naturalis, ne Promissio seriò animò toties repetita falsa fiat, ac denique, & præcipue præsumptus Episcopi in hanc Dationem consensus considerentur, Næviam posse bonâ conscientia, & probabili Jure retinere hos centum Florenos; licet enim singuli Tituli non sufficiant, ad hanc Summam, tamen si simul spectentur, & Episcopi Consensus præsumi possit, excusationem videntur satis probare. Licet hoc fortè movit Confessarium Næviam, Virum doctum, & conscientiosum, ut ita Casum resolveret, qui, cum, ut monui, Episcopi Confessarius fuerit, penetrare sufficienter Episcopi mentem potuit, & fortasse eum eo de hac re locutus est. Judico igitur, non esse movendum Næviam ob hoc scrupulum;

7.
Dubium
tertium

resolvitur.

S s s s 2

Cum

cum in bona fide sit, & Argumenta pro se probabilia habeat; & licet periculum sit injustæ retentionis ob probabilitatem partis oppositæ, hæc tamen injustitia materialis solum est, neque ulli particulari noxia.

QUÆRITUR II.

An Confessarius Navia rectè fecerit, præcipiendo eidem, ut reliquos trecentos florenos expendat pro Missis legendis in solatium Animæ Defuncti?

8. **R**esolutio Quæstionis ex eo pendet, cujusnam sint Bona Clericorum, quando moriuntur intestati, & neminem ex Consanguineis habent, qui ab Intestato succedat? Distinguendum est inter Bona Clericorum patrimonialia, quæ acquisiverunt Jure hæreditario, Donatione inter Vivos Amicorum, vel proprio labore, industria vel paritate &c. & inter Bona illorum Ecclesiastica, quæ acquisiverunt ex Titulis Ecclesiasticis, & intuitu Ecclesiæ, ut sunt redditus Beneficii, Decimæ &c. Quæ posterioris sunt generis, in ea succedit Collegium Clericorum, vel Successor in Beneficio, & ab his distribui debent in Usus pios, uti constat
ex c. relatum, 12. de testam.

In Bona Patrimonialia, si Clericus Consanguineos nullos habuit, qui Jure Cognationis succedere possint, & intestatus moriatur, succedit Ecclesia, cui servivit tempore mortis, uti habetur

C. sed hoc, 1. de Success. ab Intestat. & tradunt Vivian. in Rational. tit. cit. Barb. l. 3. decret. tit. 27. n. 2. Pirrhing. n. 26. cit. tit. Engel. p. 2. l. 4. tit. 15. n. 16. & 22. Wagnereck. de success. ab intestat. & apud hos Abb. Az. Laym. &c.

Dixi 1. Si Consanguineos nullos habuit, qui Jure Cognationis succedere possint; nam si Consanguineos habet, & intestatus decedat, hi eidem non secus ac Laicis, succedunt ab intestato, saltem quoad Bona Patrimonialia, industrialia, & parsimonialia. Patet
ex c. sed hoc. cit. & ibi Glossa,

juxta quam Constitutio de Successione Ecclesiæ in Bona Clerici intelligenda solum est, quando Consanguineos nullos habet, qui illi ab intestato succedant. Dixi 2. Ecclesiæ, cui servivit: nam si Clericus Privilegiis Clericalibus gaudens nulli Ecclesiæ serviat, sive Beneficiatus non sit, & intestatus decedat, nullos Consanguineos habens, Bona illa devolventur ad Fiscum Ecclesiæ illius loci, in quo versatur, eaque Episcopus distribuet pro arbitrio ad Causas pias, ut notat Abb. in *c. sed hoc. cit. & tradunt Doctores cit.*

Nec ratio deest; nam Fiscus Sæcularis succedit iis Laicis, qui sine Consanguineis de-

cedunt intestati, tanquam in Bonis vacantibus Defuncti.

L. 1. & l. vacanti. 4. C. de Bonis vacant.

Igitur etiam Fiscus Ecclesiasticus in Bonis vacantibus Clerici,

Arg. c. 1. de success. ab intest.

Solum igitur Ecclesia succedit in Bonis Patrimonialibus Clerici, qui servivit Ecclesiæ, & si Consanguineos, qui ab intestato succedere possint, nullos habeat. Rationem congruam dat Vivianus *l. cit.* quia Clerico, qui non habet Consanguineos, & non est testatus, nullus proximior Hæres videtur remansisse, quàm Ecclesia, quæ ipsum Domino sociavit.

C. Presbyter. de pœnis. & c. fin. 12. quæst. 5. & quia Ecclesia Beneficiato est loco Uxor. c. inter. de translat. Episcop. & c. quia. de Cleric. non resid.

Atqui Coniunctis deficientibus Uxor succedit Viro, & Vir Uxori

L. 1. C. unde Vir, & Uxor.

Igitur etiam Clerico, si sine Testamento, & legitimis Successoribus moriatur, succedit Ecclesia, in qua tempore mortis constitutus fuerat.

Dubitatur, si is, qui Servus antea fuit, deinde Consensu Domini, seu Patroni, Presbyter factus, intestatus decedat, ad quem pertineant illius Bona? Respondeo dividenda esse in quatuor Partes, & harum unam Episcopo, alteram Ecclesiæ, tertiam Pauperibus, quartam Parentibus assignandam; si verò isti non sint idonei, istorum Partem recipiendam ab Episcopo, & distribuendam in Usum Ecclesiæ.

Ita decernitur c. sancto. 2. de success. ab intest.

Ubi etiam pœna Anathematis imponitur contra Constitutionem hanc præsumptivam. Wagnereck tamen *l. 3. tit. 27.* rectè notat, Legem istam nunc in praxi usum non habere, quia rigorosa Mancipiorum servitus inter Christianos in his saltem Regnis, & Provinciis exolevit. Antiquis igitur temporibus tantum præscripta divisio peculii Sacerdotum habebat locum: Ratio hujus Divisionis congrua affertur à Viviano *l. cit.* quia in talibus Bonis non debet ab intestato succedere olim Patronus; nam quando consensit, ut Servus promoveretur ad Ordines, amisit Jus succedendi sibi delatum à Jure Civili.

C. nullus, & c. de famulis, de Servis non ordinandis.

Unde disparitas in hoc est cum libertis Laicis, nam de horum Substantia Dominus sibi vendicat partem.

Institut. de Success. Libert. §. sed nostra.

Igitur ut aliis Liberis: ita etiam his Presbyteris ex statu servili cum Consensu Patroni ad Ordines promotis succedunt ab intestato Parentes, & Consanguinei, non verò in integrum, sicut in aliorum Clericorum Bonis, sed solum in quarta parte, & reliquæ partes

tes distribuuntur in Opera pia, ut sic compensetur Libertas, quam ratione Pietatis, & Divinorum isti Presbyteri sunt consecuti.

ut habetur c. quicumque. dist. 54.

Hæc tamen omnia intelligenda, cum ejusmodi Sacerdotes decedunt intestati; nam si de Bonis testati sunt, cum eis liberum eorum Dominium competat, exequenda eorum voluntas est, sicut aliorum Clericorum, quando testantur de Bonis intuitu personæ acquisitis.

10.

Ex hæcenus dictis videtur Argumentum duci posse adversus Naviæ Confessarium; nam Pecuniæ, & Bona, quæ Parochus decedens reliquit, non habens Consanguineos, qui succedere ab intestato possint, devolvebantur ad Ecclesiam, cui servivit mortis tempore: & licet applicandæ erant in causas pias, tamen Ecclesiæ ad hoc faciendum Jus competiit: igitur Confessarius Naviæ de Pecuniis à Naviæ subtractis disponens illicitè spoliavit Ecclesiam Jure suo, quod per mortem Parochi ab intestato ad has Pecunias, & harum distributionem faciendam illi accrevit.

Deciditur
Quæstio.

DICO nihilominus, probabilius Confessium hoc Confessarii istius excusari posse: fecit enim in hoc Confessarius, quod aliàs fieri cum his Pecuniis debebat: debebant enim expendi in Causas pias, ita expendi illas Confessarius fecit: Ergo. Accedit, quia Parochi, nisi valde pinguis sit Parochia, plerumque in Redibus suis non habent superflua. Igitur quæ relinquunt, censeri possunt congruæ sustentationi dempta per parsimoniam: & quamvis talia accenseantur Patrimonialibus, & consequenter ad Ecclesiam devolvantur, meritò tamen præsumi de Ecclesia potest, partem satis notabilem applicandam fuisse Missis, & Sacrificiis in Bonum Animæ Defuncti, quod etiam Confessarius fecit. Neque obstat, quòd sic disponendo involarit in Jus Ecclesiæ; nam defectus iste non videtur esse adeò gravis, ut is argui propterea peccati mortalis possit. Imò probabiliter optimè fecit, & sic disponendo ne venialiter quidem peccavit casu, quo sine læsione famæ reddi subducta pecunia non potuerat; tunc enim meritò de Pietate Ecclesiæ præsumi poterat, noluisse obligare cum tam gravi incommodo ad restitutionem sibi faciendam, & sic contempsisse in Confessarii istius dispositionem.

QUÆRITUR III.

An alter Sacerdos suo arbitrio potuerit centum reliquos Florenos applicare pro Templi ornatu?

11.

Ratio dubitandi est, quia contra mentem dantis fecit, ipse autem Dominium il-

larum Pecuniarum, & consequenter potestatem disponendi de illis nullam habuit. Sed hoc non obstante, supposita resolutione prioris Quæstio, nempe quòd Confessarius Naviæ rectè fecerit consulendo, ut in Bonum Animæ Defuncti curaret Sacrificia.

DICO. Per se loquendo probabilius Sacerdotem hunc potuisse arbitrio suo centum istos florenos applicare pro ornatu templi necessario. Ratio, quæ me movet, est, quia si hoc modo de his pecuniis non possit disponere, causa foret, quòd tum à dante, tum à Confessario dantis destinentur ad Sacrificia legenda pro demortuo. Atqui per hoc nec dans, nec Confessarius dantis injungere potuit obligationem novam, sed ad summum Confessarius iste declarare potuit obligationem illam, quam pecuniæ à Naviæ oblata habebant sibi annexam de jure. Hæc autem obligatio non erat determinata ad hoc, ut Missæ pro iis legerentur, sed disjunctiva tantum, ut expendere in Causas pias, in quas expenduntur etiam, dum applicantur pro Ornatu Templi necessario: imò melius hoc fortasse fuerat, posito quòd Templum fuerit valde indigens, ut erat hoc, cui applicabat centum illos florenos Sacerdos iste, cum ut ex relatione illius didici, qui hunc casum ad me detulit, ex hostilibus incursionibus, & belli præsentis Miseriis plurimum sit passum. Dixi autem per se loquendo; ex contractu enim, & promissione acceptata tenebatur expendere ad voluntatem dantis, nisi præsumere prudenter potuerit offerentis consensum, qui facile in Casu isto præsumi poterat, cum tantum ideo Naviæ obtulerit pecunias istas, ut sic restitutionem ad Causas pias faceret, qua intentione probabiliter non volebat imponere obligationem in Conscientia solum expendendi Summam illam in Missas.

Deciditur
Quæstio.

Major difficultas esset, an Sacerdos iste, si pecuniæ hæc à Parocho demortuo per Testamentum fuissent legata ad certas Causas pias, commutare in aliud melius, vel æquale pium opus potuerit? Tota hæc Quæstio dependet ex eo dubio, quis commutare ultimas voluntates possit? Qua in re certum est non posse legata relicta ad unum usum converti in alium usum absque justa, & rationabili causa.

12.

Ita Bonac. tom. 2. D. 3. de Contract. q. 17. p. 8. §. 9. n. 1. & expressè decernitur in Clem. quia contingit. de Religiosis domibus.

Ratio est, quia voluntas Testatoris servanda est tanquam lex

c. ultima Voluntas. 13. q. 2. & auth. de nuptiis §. disponit.

Accedit, quia bona distrabi, & occupari nequeunt contra Domini voluntatem. Sed dubium est, quisnam in re ista censeatur esse Superior legitimus? Distinguendum inter legata ad Causas pias, & inter legata ad Causas profanas. In Ordine ad commutanda

§§§ 3

legata

legata facta ad causas profanas Superior legitimus est Princeps Supremus, non agnoscens alium Superiorem in Temporalibus. Patet Argumento à Minori ad Majus; nam talis Princeps ex causa rationabili, e. g. postulante publica necessitate, potest subdito sua Bona omnino subtrahere. Ergo à fortiori potest legata profana ad alium usum ex causa justa convertere. In ordine ad commutanda legata facta ad Causas pias legitimus Superior est solus Pontifex regulariter loquendo, ut habetur

Clem. cum contingit. cit. & docet Covar. in c. tua. de Testam. n. 7. Mol. D. 249. Vers. utrum autem. Vasq. de Testam. c. 8. n. 103. Barb. de potest. Episcop. p. 3. alleg. 83. num. 1. Bonac. de contract. D. 3. q. 17. p. 8. §. 9. n. 2.

Et quidem, quod Pontifex, si causa justa, & rationabilis adsit, commutare legata facta in pias Causas valeat, patet; non minori enim potestate pollet, quam Princeps Laicus. Quod verò regulariter loquendo solus possit, ratio est, quia hujusmodi commutatio est actus Supremæ Jurisdictionis, & sicut non potest alteri quilibet subtrahere sua Bona, ita etiam non potest ad unum usum destinata, contra Domini voluntatem in alium usum, etsi melior de se hic esset, convertere.

13. Dixi autem *regulariter loquendo*; nam de licentia Summi Pontificis perspicuum est id fieri posse; tunc enim si quis tali potestate instructus commutat, jam non commutat Autoritate propria, sed potestate delegata. Plus in hoc licet Episcopo quam aliis Prælatibus potestatem quasi Episcopalem in subditos suos non habentibus: nam Episcopus (idem Barbosa Teste de aliis Prælatibus inferioribus habentibus potestatem quasi Episcopalem) ob causam, quæ sibi videatur justa, consentiente Hærede, & loco pio, cui res legabatur, potest legatum pium relictum ad unum usum, convertere in alium pium usum. Ratio est, quia hoc modo nulli fit injuria: non Hæredi, aut loco pio, quia isti cefferunt Jure suo: non Testatori; quia hæc commutatio ipsius rationabili voluntati non repugnat, sed si ipsemet adesset, & causam cognosceret, eandem commutationem, ut fieret, rationabiliter vellet, atque præciperet. Causas autem hujusmodi, ob quas Episcopus commutare pia legata, & ultimas voluntates potest, Varias assignant Varii. Præcipuas enumerabo. 1. Quando aliquid à Testatore relictum est ad aliquid pium efficiendum, & juxta Testatoris præscriptum impleri non potest, eo quod vel pecuniæ non sufficiant, vel aliud impedimentum adsit seu Juris, seu facti. Tunc enim non propterea legatum invalidum est, & ab Hærede occupari potest, sed arbitrio Executorum, & Episcopi convertendum est in aliquid aliud, ita tamen, ut quoad fieri possit, voluntas Testatoris servetur. Unde si præcipitur in Testamento edificari Tem-

plum magnificentum, si sumptus non suppetant, edificandum Templum aliud honestæ magnitudinis: si jubeatur erigi Monasterium in aliquo loco, & in eo loco nequeat erigi, arbitrio Episcopi, & Executorum eligendus est locus alius.

Ita Mol. D. 249. Vers. quando aliquid. Ricc. in collect. p. 3. collect. 558. Vers. 3. causa. Barb. p. 3. de potest. Episcop. alleg. 83. n. 8. & 9.

Ubi notat, si impedimentum sit Temporale, & speretur tempus impedimenti, debere expectari rempote commodum. 2. Si legatum factum est ad unum usum non ita necessarium v. g. ad pingendam Ecclesiam, quæ minatur ruinam, tunc enim commutari voluntas ultima Testatoris potest ad alium usum eidem Ecclesiæ magis necessarium e. g. ad impediendam ejusdem ruinam.

Ita Barb. l. cit. n. 12. & apud hunc ctt. Ratio est, quia sic utiliter geritur Ecclesiæ negotium

Bertachin. de Episcop. l. 4. q. 4. n. 74.

Concedit etiam relictum pauperibus per Episcopum converti posse in fabricam Ecclesiæ, aut ejus picturam. 3. Si Ecclesia, in qua Testatoris voluntate reditus sunt constituti pro Missis legendis, indiget paramentis pro eadem Celebratione Missarum, tunc enim Episcopus per Epyikiam interpretari voluntatem Testatoris potest, & reditus illos adhibere, vel partem illorum pro emptione paramentorum;

uti Bonac. l. cit. n. 5. Et Barb. n. 14. docent,

sed solum pro una, vel altera vice. Idem aliqui

cum Felin. in c. cum accessissent. de Constitut.

extendunt etiam ad Materiam Beneficalem, & volunt Episcopum cum consensu Patroni pro una vice instituere posse ad beneficium non habentem requisita, per fundatorem in limine foundationis posita. E. g. Si fundator fundavit Beneficium, aut Cappellaniam conferendam Sacerdoti, modo autem non offerat se, nisi Subdiaconus aliquis, vi istius doctrinæ cum consensu Patroni Episcopus posset instituere hunc Subdiaconum, modo intra annum promoveri possit ad Sacerdotium. Verum hanc extensionem Barb. l. cit. jam post Tridentinum negat procedere, quod

Sessio. 25. de reformat. c. 5.

definit, quod Episcopus nequeat tollere qualitates in fundatione Beneficiorum appositas, etiam de consensu Patroni, ut Sacramentum Congregatio. 4. Quando Ecclesia, ad cujus favorem emanavit defuncti voluntas, negligens est, datâ enim hujusmodi negligentia, poterit Episcopus, in alio loco, seu alio modo Testatoris voluntatem exequi. Ita Barb. num. 16. nam hoc prudenter præsumitur de voluntate Testantis. Idem dicendum, quando opus à Testatore præscri-

ptum ob aliquam circumstantiam licite præstari non potest; nam voluntas Testatoris supponitur esse rationalis. §. Denique si urgeat aliunde necessitas commutandi, nec adiri Summus Pontifex possit.

Ita Monet. *de Commutat. ultim. volunt. c. 5. n. 348.*

Ubi num. 352. ampliatur hoc, & vult procedere etiam casu, quo adiri Nuntius, vel Legatus etiam à Latere posset. In his Casibus, & in aliis quibuscunque, in quibus Episcopus commutare ultimas voluntates de Jure communi potest, commutare etiam illas potest Capitulum Sede Episcopali vacante.

Ex his ad Quæstionem propositam patet

Responsio: dicendum, si pecuniæ hæc à Parrocho demortuo per Testamentum fuissent legatæ ad certas Causas pias, Sacerdotem hunc non posse intentionem Testatoris commutare in aliud, etiam æquale vel melius; nam voluntate Testantis, si rationalis ea sit, ut dixi, standum est tanquam lege. Hoc autem non est factum in Casu nostro; nam de Consilio solum Confessarii, qui obligationem novam imponere non potuit, sed tantum antiquam declarare, Næviam pecunias istas ad Sacerdotem hunc detulit, ut se liberaret re aliena, non verò, ut eum obligaret in conscientia ad tantum legendas Missas.

CONSILIUM LXVII.

In Causa Præstationum multo tempore non exactarum.

SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. Dubium, quis possit imponere munera Patrimonialia.
3. Liberi status Imperii possunt imponere.
4. Status mediati per se loquendo non possunt, nisi id habeant ex Privilegio, aut legitima consuetudine.
5. 6. Adjudicatur Parthenoni Jus imponendi Præstationes.
7. Dubium de Aauthoritate Instrumenti privati.
8. Scriptura privata ex Archivo publico producta plenè probat, secus si ex Chartophylaciis privatis desumatur.
9. Scriptura confecta per Officialem publicam super pertinentibus ad officium suum, plenam fidem facit.
10. Fides Instrumenti infringi potest per Testes.
11. 12. Adstruitur fides Scripturæ Quæstionis.
13. Dubium de Præscriptione Exemptionis à Præstationibus.
14. Contra Tributa in signum subjectionis Principi debita non currit Præscriptio.
15. Immunitas ab aliis Collectis potest præscribi.
16. In Casu presenti non est locus Præscriptioni.
17. Deciditur tota Controversia.

FACTI SPECIES.

Anne annos circiter decem vel duodecim in Illustrissimo Parthenone quodam, qui liberis Imperii Statibus accensetur, introducta, vel renovata est Consuetudo, qua Præstationes quædam à nonnullis dicto Parthenoni subjectis exiguntur, ubi hi aut vendunt, aut commutant Bona Immobilia Jurisdictioni ejusdem subjecta. Occasio introductæ, vel renovatæ hujus consuetudinis fuit Schediasma eo tempore inter alia Parthenonis acta repertum. Scriptum hoc fuit Anno 1646. à Sub-Præfecto Pagi D. tunc in Officio existente, qui proin per illud (ignoratur, an spontè sua vel de hoc legitime interrogatus) testabatur, incolas hujus pagi ab antiquo, & immemoriali tempore obligatos fuisse dare certas Præstationes, in Venditione Villæ, prati, domus, in contractu Sponsalium &c. videlicet quas-

dam Mensuras Vini distribuendas inter Abbatissam, Domicellas, & Præfectos. Hoc Schediasma, cum inter Acta, ut relatum est, à demortuo Præfecto inventum fuisset, ostensum fuit Reverendissimæ, quæ ad Jus quæsitum conservandum, imperium dedit, ut deinceps hæc peterentur. Hoc Imperium etiam executioni datum est, quamvis in principio cum multa subditorum protestatione, quod dicerent novam rem esse, & de qua nec Antiquissimi illorum quidquam sciverint, nec à Parentibus suis unquam audiverint. Quin adsunt duo Rustici proveci præ aliis senii, qui in vim Juramenti sunt contestati, nec ante annum Millesimum Sexcentissimum quadragessimum Sextum, nec post illum, traditæ jam Schediã istâ, ab illius temporis Præfecto, aut suo, aut Parthenonis nomine, etsi sedecim adhuc annis supervixisset; quidquam petitum: quod signum videtur esse, etiam ipsium Testimonio Subpræfecti B. fidem adhibere ausum non fuisse timore violandi Consuetudinem suam.

QUÆ